

M. ANTONII COCCII SABELLICI RERVM VENETARVM
AB VRBE CONDITA IN VNIVERSVM OPVS PRAEFATIO

SCRIPTVRVS Ego ab urbe condita Venetorum gesta possum ut uere ita honeste illud profiteri quod pleriq; alii rerum scriptores non sine ambitionis suspiratione fecerunt. Ordini me historiam non modo uariam atq; ob id ipsum maxime memorabilem : sed longe etiam utilissimam . Quippe quae cum ipsa rerum nouitate non parum delectare possit lectoris animum : tum optimorum multitudine exemplorum in omnes ciuiles disciplinas instruere : Nam quum omnis fere noua lectio hoc habeat ut meliorem quae accipiat reddere se dicat lectorem : Id rerum Venetarum eo audatius profitebitur cognitio quo facilius pleniusq; quam reliqua ulla praestare poterit : Fuerunt populorum quorundam qui Imperio quandoq; potiti sunt : res (quis nescit) magnificae & amplae uel in primis Romanorum : quibus splendore ac magnitudine eorum quae foris gessere fortasse cedimus : Verum sanctitate legum : iuris aequatione : innocentia : caeterisque sanctioribus institutis res Venetae cum Romanis collatae non modo non deteriores illis : sed longe etiam (adsit modo aequus iudex) meliores reperientur : Neque mirum creduntur caeterorum primordia nisi poetarum fabulis fidem habendam putamus omnino humilia ac pene sordida : Sed facta uel honestissima fuisse : ea ipsa tamen parum laeta ab initio reperies : quandoquidem seruitutem longe prius senserint quam ullam libertatis dulcedinem : Et dubitet quisquam quales earum gentium fuerint mores quae regum libidinibus prius parere assueuerint quam legibus : quae ante seruili plausu delectatae sint : quam libero suffragio : Ego uero non miror Imperia illa quae huiusmodi habuissent principia prorsus olim interiisse : sed quod his semel malis imbuta coalescere quandoq; potuerint : & quod ubi coaluissent tam diu illis stare contigerit : Id certe non solum miror ut dixi : sed uehementer etiam obstupeo : Contra fuerunt uiri clari iidemque eximia pietate praediti qui Venetam urbem condidere : Sed hi quum perpetuae libertati in qua urbs nata esset consultum uellent : iure omnibus aequato sanctissimis institutis ciuitatem muniuere : Quorum omnis posteritas iam inde ab ipsa urbis origine ita semper studiosa fuit : ita incorrupta seruauit : ut Venetum Imperium quod late hodie terra marique patet : his artibus magisque armorum studio creuisse manifeste appareat : atque ob hoc ipsum nunquam interituum si quid humani interitu carere potest : aequum sit iudicare : Quod quum ita esse constet uehementer mecum mirari soleo : quid sit quod in tanta eruditorum hominum frequentia quanta paucis annis in his dicendi floruit studiis : nemo adhuc quod sciam de rebus Venetis aliquid scripserit : quum interim eorum plerique extiterint qui ob singulare ingenium excellentemque doctrinam quantumuis amplam materiam tuto suscipere : susceptamque cum dignitate tractare potuissent : sed quo consilio alii laborem hunc immo potius laudem effugerint difficile est iudicare : Ego uero quum in hac hominum luce omnino essem aliquid ausurus : Cerneremque rem tantam in eptissimis quibusdam commentariis incultam : & quasi membratim dispersam iacere : aliquid certe me profecturum putauit si uelut in uacuum solum